

AD ARTIC. CLXXXIX.

## ARGUMENTUM.

Officium Actuarii describitur, quod absolvitur accurata Judicialis protocolli confectione, ejusque diligens custodia in scriniis publicis Judiciorum. Cui subinde imperatur silentium, ne scilicet quicquam ex iis, quae in iudicio criminali acta, & ab ipso descripta sunt, aliis manifestet.

## EXEGESIS.

**Q**uæ in hoc Articulo continentur, velut in compendio exhibent Officium Actuarii hactenus in diversis articulis per partes descriptum. Textus hic videtur desumptus e cap. 10. Extr. de Probation. Quoniam tamen pleraque sunt explicata, ideo hic extremis saltibus digitis capita istæc attingam. Ubi ante omnia monendum est: Actuarii officium in causis capitalibus esse arduum & magni momenti, nec cuivis scribæ committendum, cum ex ipsius annotatione postmodum totum negotium in iudicio criminali peractum examinari, ponderari, & decidi debeat. Inde mirari dicit Brunnen. in Proc. Crimin. cap. 3. num. 60. pag. 25. multorum negligentiam, & in re tam gravi inevitabilem oscitantiam, qui negotium illud omnium maximè arduum hominibus indoctis atque inexpertis sæpe commendant & committunt.

Sed officium Actuarii consistit in sequentibus (1) *In omnium actuum annotatione fiat à Scriba;* loquitur autem de actibus in iudicio criminali institutis, de illo siquidem iudicio hoc loco nobis sermo est. Sive igitur actus judicialis respiciat accusationem, vel inquisitionem specialem ex officio judicis contra certam personam delicti capitalis insimulatam, sive respiciat exceptionem vel probationem criminis: defensionem innocentiae à parte inquisiti, vel accusati, sive alium quendam actum huc pertinentem; omnes istos actus scriba annotabit.

(2) *In modo annotandi singulos actus.* Et quidem (a) *In genere* iste exprimitur, ut scilicet fiat diligenter, quæ diligentia includit circum-spectam observationem eorum, quæ in iudicio criminali aguntur, ut nihil quicquam prætermittat, sed omnia & singula studiosè conscribat. (b) *In specie,* ut fiat (a) distinctè, ne unum cum alio confundatur. (β)

*Orasme*